



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

§. 1. Cur de Monstris agendum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)



DE MONSTRIS ET MON-  
STROSIS,

QVAM MIRABILIS, BO-  
NVS, ET IVSTVS, IN MVN-  
DO ADMINISTRANDO, SIT  
DEVS, MONSTRANTIBVS.

CAPVT I.

*Quid, & quàm varia sint Monstra? Et  
num ea etiam in omnibus Mundi par-  
tibus reperiantur?*

§. I.

*Cur de Monstris agendum?*

**M**VNDVM & Mundi inquilinos  
non morum duntaxat, sed non-  
nulli ipsius etiam naturæ erro-  
res videntur contaminare. Quod num ita  
sit, & quo Numinis iudicio fiat, paullò est  
à nobis examinatiùs inquirendum. Inter  
hos autem errores, potissimè sunt *Mon-  
stra & Monstrosa*, quæ sine diuina volun-  
tate non accidunt, atque ipsa raritate sua  
nos inuitant ad meditandum, rapiuntq;

B

ad



Psal. 45. 9.  
1 Paral.  
16. 8.  
Pl. 104. 1.

ad sapientissimi Gubernatoris Mundi  
equissimã providentiam, cum maxima ad-  
miratione contemplandam. Quò digitum  
intendit regius Psalles, cùm ait: *Venite, &  
videte opera Domini, quæ posuit prodigia super  
terram.* Et alio loco: *Confitemini Domino,  
& invocate nomen eius: notas facite in populis  
ad inventiones eius. Cantate ei, & Psallite ei:  
& narrate omnia mirabilia eius.* Non erit  
hæc Agathonia cantio, quæ sola argumen-  
ti suavitate permulceat; sed vtiliter iucun-  
dam disputationem propinabit.

## §. II.

*Monstri acceptio, & exempla.*

*Monstrum* autem Grammaticis, quòd  
aliquid significando monstret, dictum,  
etsi aliqui inter animantia, siue homines,  
siue bruta, *Portentum* verò in rebus inani-  
matis duntaxat aiunt reperiri; parum  
tamen refert, de vtris id nomen vsurpes.  
Potest enim æquè aliquid in cælo, elemen-  
tis, lapidibus aut metallis monstrari, ac  
in hominibus aut brutis portendi. Est igitur  
*Monstrum* vniuersim aliquid prater na-  
turam editum, aut procreatum: vel, vt in  
scholis loquuntur, est effectus nature, qui de-  
uiat a recta consuetudine, secundum speciem, di-  
spositione.